

cet & animam, habebat, hæc ipsa propter Domini sui amorem sic offerebat, ut omni fere tempore per abstinentiam jejunii corpus, & per ardorem desiderii spiritum immolaret; exterius in atrio corpus sacrificans, interius vero suavissimum adolens thymiama. Quin & illud ejus abstinentiam mire commendat, quod frequenter appositos cibos, ne palatum allicerent, neve inimicam carnem oblectarent, permutare solebat, ut nihil ei in vita nisi solus sponfus dulcis esset; qui eo castis mentibus dulcior est, quo magis ipsi dulcia cuncta ob ejus amorem repudiant. Quid hoc in loco dicent, qui omnes opes suas, & omnia vitæ studia in hoc unum conferunt, ut inimicam carnem omni voluptatum genere foveant? Quod quum faciunt, atrocissimum & familiarem contra se hostem armant; qui tanto difficilior vincitur, quanto majores adversus spiritum vires hac molli indulgentia colligit.

Ceterum abstinentiæ germana & conjuncta virtus est, oratio. Illa enim ad spiritualem melodiam corporis & animæ instrumentum per jejunium aptat: oratio vero suavissime

Deo canit. Quæ quidem virtus adeo familiaris beato viro fuit, ut tota ejus vita, perpetua quædam esset oratio. Ea autem erat contemplanti solatium, per quam in terra positus, cogitatione & aviditate inter angelorum choros versabatur. Erat & operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat, sibi diffidens, orationis suffragio se a Deo dirigi postulabat. Itaque fratres suos omni ratione ad hujus virtutis studium excitabat, asseveranter affirmans, neminem in Dei obsequio & virtutum acquisitione prosperos successus, nisi virtutis hujus præsidio, habiturum. Ipse vero ambulans & sedens, laborans & a labore vacans, domi ac foris, adeo erat precationi intentus, ut illi videretur, non solum quidquid erat in eo cordis & corporis, verum etiam operis & temporis, dedicasse. Quum vero aliqua spirituali dulcedine a Domino reficeretur, nulla interposita mora mentem suam illi percipiendæ atque fruendæ aptabat. Quod si hoc illi in itinere forte contigisset, socios præcedere volebat, ipse vero gradum in eodem loco figebat, ne in vacuum eam Dei gratiam reciperet. Illud vero singulare, ma-

ximeque imitandum, quod quanta poterat diligentia, quidquid donorum a Deo recepisset, neque verbis, neque ullis externis signis, aut vocibus, aut corporis motibus foris propalabat, secretum suum sibi fervans. Qui secus autem faceret, levi ajebat mercede rem inestimabilem amittere, donantisque manum ad donandum contrahere. Si vero aliquando tanta vis divinæ visitationis & consolationis esset, ut nullo modo posset interni hominis claustris ita contineri, ut non se aliquo externo indicio proderet, fingebat aliquid, ne ullam adstantibus perceptorum donorum significationem daret.

§. III.

His quattuor virtutibus, fratres, quas hactenus commemoravimus, pius homo sibi ipsi, suoque profectui præcipue vacat, sibi que magis quam aliis consulit. Quod quidem initio vitæ religiosæ primo loco curandum est, ut videlicet ordinata caritas a se primum incipiens, in alios deinde, quum * adultior fuerit, excurrat. Sic enim videmus, naturæ auctorem Deum in omnibus sive plantis sive animantibus hunc ordinem servare, ut prius quidem ea ad

justam maturitatem perveniant, deinde aut fructus aut fetus pariant; priori quidem loco sibi, deinde aliis operam dantes. Quum ergo vir pius in his se virtutibus, quas commemoravimus, exercuerit; ad alios & in corpore & in anima juvandos, per misericordiæ & benignitatis opera procedat. Quod beatissimus pater Franciscus cumulatissime præstitit. Quamvis enim & spiritu & corpore pauper esset, numquam tamen illi defuit quod pauperibus daret. Vestes enim exuebat, easque indigentibus, Christum in pauperibus contemplans, largiebatur. Unde quum apostolorum limina visitaret, cernens inter pauperes, qui ibi assidebant, unum laceris vestibus tectum, se ipsum nudavit, quo illum indueret; ipseque semicinctis obvolutus, inter eosdem pauperes tota die cum incredibili quadam spiritus suavitate, & paupertatis amore sedit.

Accidit etiam, ut ipsi, Senis redeunti, pauper occurreret. Quumque sanctus pater propter morbum, quo per id temporis laborabat, palliolo quodam esset obvolutus, ad socium ait: oportet, ut alienum Domino suo reddamus; hoc enim palliolum mutuo accepimus, tan-

tisper eo usuri, dum pauperior occurreret. Quumque socius, patris necessitatem considerans, pertinaciter obliteret, quod alii consuleret se neglecto, qui magis indigaret; ille contra: pro furto, ait, mihi a pauperum parente Christo imputandum esse credo, si huic egenti non subvenero. Quum autem misericordiae affectus in piis hominibus tantopere vigeat, ut Ecclesiasticus dicat: (a) *novit justus animas jumentorum suorum*; hic ipse affectus usque adeo in sancti patris visceribus dominabatur, ut ad ipsa etiam animantia protenderetur; atque ad illa praecipue, quae Christi Domini mansuetudinem figurabant. Cujus rei exstat exemplum, dignissimum plane quod hoc in loco referatur. Quum vir sanctus in monasterio sancti Verecundi hospitaretur, evenit, ut ea nocte ovicula quaedam agnellum pareret. Aderat ibi forte sus ferocissima, quae, innocentis fetus vitae non parcens, dicro cum morfu necavit. Quum hoc autem pius pater audisset, tenerrimo compassionis affectu permotus, & immaculati agni mortem ad mentem revocans, agniculi casum his ver-

(a) *Prov. 12. 20.*

bis lamentabatur: heu me, frater agnicule, innocens animal, Christumque hominibus representans: maledicta sit crudelis illa bestia, quae te occidit, nullique sive homini sive ferae in alimentum cedat. Res profecto admiratione dignissima! sic enim divina pietas hoc servi sui affectu delictata est, sic ejus votis obtemperavit, ut protinus fera illa aegrotare inciperet, ultricemque tandem post triduum sentiret necem. Projecta autem in monasterii vallum, ibique diutius jacens, nulli neque homini, neque ferae esca fuit.

Ceterum pius hic sancti viri affectus in leproforum curatione maxime declaratus fuit. Cujus rei idem in testamento suo meminit, gratias bonorum omnium largitori agens, quod ea res, quae antea illi horrore erat, voluptari esse coepisset. Ad hoc autem singulare misericordiae officium illum Dominus, quum adhuc in saeculo degeret, quodam insigni miraculo instituit. Quum enim is jam melioris vitae propositum concepisset, & equo vectus leprosum quemdam in itinere obvium non sine horrore adspexisset, sibimet iratus, ab equo de-

defiliens, atque ad leprosum accedens, manum, quam ille, ut eleemosynam acciperet, protendebat, devotissime osculatus est; statimque leprosus ab oculis ejus evanuit. Quo miraculo & in proposito suo confirmatus, & divini amoris igne incensus, piissimum quemdam erga leprosos affectum ex eo tempore concepit. Qua de re exstat aliud non minoris caritatis atque humilitatis ejus opus, quod pater misericordiarum Dominus miro salutis beneficio honoravit. Obvium namque sanctus vir in itinere Spoletanum quemdam civem habuit, cujus os atque maxillam lepra, horribili plaga, corroserat ac deformaverat. Quumque miser homo viri sancti pedes osculari vellet, vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leproforum servus Franciscus mirabili pietate illam horribilem plagam ore sacro contingeret, mira plane res! aeger ille plenissimam sanitatem recepit. Nescio quid horum magis sit mirandum, an misericordiae affectus in osculo tam benigno, an virtutis claritas in miraculo tam stupendo!

Ceterum quoniam misericor-

diae opera, quibus spirituales animarum morbi curantur, tanto sunt praestantiora, quanto anima corpore praestantior est: ideo vir sanctus, quamvis contemplativae vitae studio potissimum addictus esset, in eoque dies & noctes cum ineffabili quadam dulcedine versaretur; divino tamen oraculo admonitus, & exemplo illius inductus, qui noctem orationi, diem vero commodis impendebat animarum, coepit & ipse civitates & castella circumire, & regnum Dei non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus & virtutis annuntiare. Quem homines, non ut hujus saeculi hominem, sed ut caelestem quemdam virum, majusque aliquid, quam quod praese fert humana natura, in eo contemplantes, devotissimo quodam affectu audiebant. Mentem enim, ac ipso etiam vultu in caelum semper intentus, omnes sursum trahere nitebatur. Coepit igitur Christi vinea suavissimum odoris germen proferre, productisque floribus suavitatis, honoris & honestatis, uberes fructus germinare. Praedicationis quippe ejus fervore succensi plurimi, juxta formam a viro Dei traditam, novis se poenitentiae legibus

vin-

vinciebant. Sic vir divinus, velut ambidexter, in utriusque vitæ, activæ scilicet & contemplativæ, curriculo, Christi Domini sui exemplum secutus, diligentissime se exercuit.

Quum autem sancti viri virtutes eum perfectionis gradum attigerint, ut unaquæque earum summum sibi locum inter cetera vindicare videatur: tamen inter eas devotissimus atque tenerrimus erga pendentem in cruce Dominum affectus summum in eo locum habuisse videtur. Hunc enim affectum pius Dominus, ante etiam quam is sæculo renuntiasset, menti ejus impressit. Dum enim quadam die in solitudine positus oraret, & præ fervoris magnitudine totus esset in Deum absorptus, Christus Dominus, velut cruci affixus, ei apparuit. Cujus conspectu liquefacta est anima ejus, passio- nisque ipsius memoria usque adeo visceribus ejus medullitus impressa fuit, ut ab ea hora, quum Christus cruci affixus illi veniret in mentem, vix posset a lacrimis & gemitibus contineri; quemadmodum ipse morti jam proximus familiariter amicis retulit. Hujus igitur piissimi affectus, clarissimarumque virtutum meritis altis-

simam illam & incomparabilem promeruit gratiam, ut sacris stigmatibus, quæ semper gestabat in mente, in corpore etiam insigniretur. Itaque dum instante festo exaltationis sanctæ crucis attentius in latere montis oraret, quemdam ex seraphicis spiritibus, sex ignitis atque splendidissimis alis fulgentem, e cælis descendere vidit. Quumque is celerrimo volatu viro Dei appropinquasset, inter ipsas alas crucifixi hominis speciem præferbat. Ex quibus alis duæ supra ipsius caput atollebantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum tegebant corpus. Quo spectaculo vehementer obstupuit, & mens ejus ingenti quodam gaudio simul & marore æstuare cœpit. Gaudebat enim in dilecti Domini sui adspectu; sed crucifixi compassio, ejus animam doloris gaudio sauciabat. Intellexit tandem ex hac visione, Domino revelante, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Discedens ergo beatus ille spiritus, mirabilem in corde ejus reliquit ardorem, nec minus mirabilem in carne signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus

jus & pedibus apparuerunt signa clavorum: quorum capita in interiori parte manuum, & superiori pedum, apparebant. Erantque clavorum capita rotunda & nigra: eorum vero acumina oblonga, retorta, & quasi repercussa; quæ, ab ipsa carne surgentia, carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus, quasi hasta transfixum, rubra cicatrice obductum erat; quod sæpe sanguinem fundens, tunicam ipsam adspergebat. Quis igitur hic non exclamet? quis ad hanc tantam Domini gratiam & caritatem erga suos non obstupescat? Quid illis negare poterit, qui, quod erat sibi singulare ac proprium, in amicum adeo liberaliter contulit?

Cujus autem dignitatis & gloriæ fuerit, his Domini tropæi insignibus ornari, superbi Aman exemplo agnoscere licet. Quum enim is ab Assuero rege interrogatus esset, (a) quatione rex cumulatissimum honorem alicui homini tribuere posset; isque neminem alium nisi se a rege honorari velle crederet: quidquid in honoribus maximum concipere potuit, regi exposuit. Id vero erat, ut homo ille, regis vesti-

bus insignitus, & phalerato equo vectus, per plateas incederet, principe aliquo regni ejus ante ipsum clamante: (a) *sic honorabitur, quem rex voluerit honorare.* Nihil igitur hoc honore majus superba illa mens & honoris avidissima concipere potuit. Si igitur tantus honor est, regis insignibus & habitu decorari; quanta beatissimi hujus patris gloria est, sic a cæli rege & univerforum Domino honorari? vel, ut verius dicam, quanta divinæ bonitatis gloria est, quæ tam magnificis mirandisque privilegiis hanc suam in bonos caritatem voluit declarare? Quid autem beatissimus pater senserit, ubi primum hæc singulari gloria decoratus fuit, quo caritatis igne mens ejus flagraverit, quibus laudibus hanc Domini sui bonitatem prædicaverit, qua suavitatis dulcedine ejus anima liquefacta fuerit, quo caritatis ardore mille mortes propter hujus Domini sui gloriam subire concupierit, qua mentis ecstasi raperetur, quoties hanc tantam gloriam animo agitaret, non est humanæ facundia explicare posse. Novit ille, qui hanc tantam gratiam in servum suum contulit: novit etiam

(a) *Esther 6. 6. seqq.* (b) *Verf. 9.*

iam ille, qui recepit: novit etiam seraphicus ille spiritus, cuius ministerio hæc tanta gratia illi collata fuit. Ne autem hæc dignitas, adeo insolita & inaudita, incredibilis mundo esset, voluit idem Dominus ut in defuncto sancti viri corpore eadem sacra vestigia remanerent, ut ea omnes omnium ordinum homines, qui in ejus funere inventi sunt, aperte intuerentur, venerarentur, oscularentur, Deumque in sanctis suis non solum mirabilem, sed etiam amabilem prædicarent. Hæc enim sacra stigmata omnium aliorum miraculorum, quæ vir sanctus edidit, fidem faciunt: quandoquidem incredibile non est, minora illa Dominum præstitisse, qui tanto majora contulit.

Ut igitur finem principio jun-

gamus, has vos, fratres, viri sanctissimi virtutes, quas commemoravimus, ante oculos ponite; & quatenus cuique liceat, altissimam ejus humilitatem, plenissimam obedientiam, carnis macerationem, orationis studium, misericordiæ erga pauperes affectum, & jugem passionis dominicæ memoriam, quæ in beato patre potissimum eluxit, imitari studeatis. Quibus virtutum gradibus, si non expressam crucifixi Domini similitudinem in pedibus manibusque gestaverimus, at saltem ejus mortificationem in corpore nostro circumferentes, ad gloriosam ejus similitudinem, quæ in cælesti patria electis omnibus communicatur, ipso donante, atque iter nostrum bene fortunante, pervenire valeamus.



N



IN EODEM FESTO

BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI

CONCIO QUARTA,

IN QUA CLARISSIMA EJUS ET INSOLITA
miracula, singulariaque privilegia, quibus eum
Dominus ornare dignatus est, explicantur.

THE. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Psalm. LXVII. 36.

*** AM primum constat,
* J * dilectissimi, Deum
* * * in cunctis operibus
* * * suis esse mirabilem.

Verissime enim a propheta dictum est: (a) *a Solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* & (b) plenam esse terram omnem gloria ejus: atque hoc sensu propheta canit: (c) *confessio & magnificentia opus ejus*: quod videlicet omnia Dei opera magnificentissima sint, & quæ nos ad ejus gloriam confitendam & prædicandam invitent. Eademque de causa cum Deo loquens, (d) confessione atque decore illum indutum esse ait; quod videlicet quacumque ejus opera spectaveris, ad confitendam &

Tom. III.

celebrandam ejus gloriam, decorem & pulchritudinem excitaberis. Quamvis autem vere Dominus in cunctis operibus mirabilis sit, in sanctis tamen suis singulari quadam ratione mirabilior apparet; quoniam in ceteris quidem rebus ejus præcipue sapientia & potentia, in sanctis vero suis ornandis, & omni virtute cumulandis, non ista solum, sed etiam immensa ejus bonitas & caritas elucet, quæ ipsum non modo mirabilem, sed maxime etiam amabilem reddunt. Quam rem, ut alia exempla prætereamus, in beatissimi Francisci vita, singularibusque privilegiis, cernere licet; quæ talia ac tanta sunt, ut ipsi quoque, quem-

L

quem-

(a) Psalm. 112. 3. (b) Isai. 6. 3. (c) Psalm. 110. 3. (d) Psalm. 103. 2.